

dificavit atque postea domus religiosas S. Viti et Ptujkska Gora in Styria necnon Vinkovci in Croatia aperuit.<sup>11</sup>

Simul cum his novis acquisitionibus provincia devoveri oportebat etiam curae pastorali in parochiis, quas accepti conventus jam prius habebant vel provincia nunc recenter suscepit in se. Ita hodie provincia haec s. Hieronymi tenet quinque parochias respectivis ejus conventibus incorporatas et sextam in administrationem receptam, scilicet: parochiam s. Antonii Patavini in Zagreb, quae anno 1931 fundata et conventui locali incorporata fuit;<sup>12</sup> parochiam regularem SS. Petri et Pauli Poetovii conventui locali adnexam, quam ab immemorabili provident religiosi;<sup>13</sup> parochiam S. Caroli B. in Pančevu, quam inde jam a Turcarum dominationis tempore fundarunt et usque hodie tenent; parochiam S. Viti prope Poetovium, quae anno 1623 ab Urbano VIII incorporata fuit conventui Grecensi;<sup>14</sup> denique anno 1937 Ordini MM. Conventualium, respective huic provinciae, in administrationem data fuit parochia et sanctuarium B. M. Virginis Ptujkska Gora.<sup>15</sup>

#### D. De provincia Tertiī Ordinis Regularis S. Francisci Assisiensis in Jugoslavia\*

Benemeriti Patres Tertiarii Regulares Franciscani, qui inde jam ab anno 1260 in nostris regionibus inveniuntur et ab anno 1473 propriam provinciam constituunt, hodie quoque, inter alia bona opera et actiones, etiam cura pastorali

<sup>11</sup> Schematismus FF. MM. Conventualium provinciae S. Hieronymi D. M. in Jugoslavia pro A. D. 1939, Zagreb 1939, 9—11.

<sup>12</sup> Ibi dem., 31—32; littera traditionis archiepiscopi zagrebiensis A. Bauer de die 18 Septembris a. 1931 Nro. 6717, nobis ab A. R. P. Provinciali Burić benigne transmissa cum altera infra alleganda.

<sup>13</sup> Schematismus a. 1939, 35sq.

<sup>14</sup> Ibi dem., 39sq. 41.

<sup>15</sup> Ibi dem., 44; epistola traditionis episcopi lavantini de die 24 Augusti a. 1937 Nro. 1980.

\* Provincia illyrica O. M. Capuccinorum in Jugoslavia, cujus religiosi ante bellum mundiale tam meriti erant pro populo croatico, nullam habet parochiam propriam regularem, sed in administrationem recepit parochias: Karlobag, Cesarica et Lukovo-Šugarje. Cfr. Opći Šematizam, 120; epistolam R. P. Guardiani de Karlobag Gustavi Mavrić, nobis mense Martio a. c. transmissam.